XXXVII

ORATIO
DE CHRISTI IN COELVM ASCENSV

Ad S. D. N.

VRBANVM VIII.
PONT. MAX.

Habita

A IOSEPHO MARIA SVARESIO AVENIONENSI

in Basilica Lateranensi,

Kal. Iun. CIƆ IƆ C XXIIX.



ROMAE, Typis Vaticanis M. DC. XXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Epigramma.

Pingere Solem ipſum facile eſt, ſed pingere lucem
Solis Apellææ non potuere manus;

Sic facile auguſtos VRBANI pingere vultus;
Virtutis nulla pingitur arte iubar.

Principibus reliquis virtus infunditur, vt lux
Aſtris; verùm hoc in ſidere tota micat.

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI
FRANCISCO
S. R. E. CARD. BARBERINO
LEGATO AVENIONENSI, &c.

IOSEPHVS MARIA SVARESIVS Auenionensis Felicitatem.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS, Orationem in Aula tua, quæ Literatorum Prytaneum iure prædicatur, conceptam, ac natam; & a Sanctissimo D. N. literarum Præside, atque a Te doctorum Principum lumine perhumaniter auditam, inscriptis amborum faustis nominibus, quasi titulis vexillisque regijs appositis, in vulgus emittere non dubito. Compulit ad audendum insignis Tua benignitas, ingenita Tibi etiam in imperio suauitas ac dulcedo: qua vt scriberem, vt dicerem, vt ederem præcepisti; & simul animum, ingeniumque ad rem aggrediendam, & agendam inspirasti. Libenter igitur ab Amplitudine Tua, atque ab eruditis omnibus, vno ore Tuum praiudicium ac tesseram approbantibus, exceptum

iri confidens : Christum Seruatorem ac Dominum orare non desinam ; vt qui ea die, qua gloriæ suæ specimen in monte dederat, Vrbano Pontifice Optimo diuinitùs concesso, & te postmodum cum isto Latoclauo, & purpura ad Reipublicæ clauum admoto, supplices populos beauit ; nos quoque, qua die suam omnem gloriam exprompsit, & quasi velo sublato patefecit, suas rursus affusos ad aras exhilaret, publicaque gaudia perpetua velit esse : ipsumque ac Te Christianæ rei bono natos, longæuos florentesque conseruet.

ORATIO DE CHRISTI IN COELVM ASCENSV.

SOlem iustitiæ, postquam funestissimam eclipsin in Cruce passus impiorum scelere crudeliter occidit, & ex amaro tot acerborum cruciatuum, ipsiusq; mortis pelago splendidior emersit, mirabiliter ascendentem ad supremũ, nec vllo circuitu metiendum circulum æternæ gloriæ, quò clariùs adumbrare possem; radiorum, qui ab illius rediuiuo iubare promicuerunt, scintillam aliquam ingenio meo inseri: & e pretiosis donis, in dilectos Discipulos hodierna die profusis, nonnihil in me deriuari vehementer optabã. Verùm (Beatissime Pater) simul ac sacratissimis Tuis pedibus aduolutus sum, opem numinis, cuius vices geris, præsentē agnoui: & benignissimis tuis obtutibus mirum quantum mihi animi, quantum virium succrescere sentio.

Iamque mulcent aures, & mentem ad sese rapiunt hilares voces, quibus resonat æther, Sanctorum Patrum ad libertatem proclamantium applausus, & Angelorum epinicia modulantium iucundissimi concentus. Excitat me frequens concursus festinantium Discipulorum, & alacriter hinc atque hinc effundentium sese fidelium omnis ordinis, omnis sexus. Quàm gratum erat aspicere tenellas illas Ecclesiæ primitias, tanquam nouellas oliuarum, super Oliueti monte in circuitu Domini valedicentis. Quàm insigne, quàm conspicuum fuit illud spectaculum!

Cæte-

Cæterùm ſatius eſt orationis curſum ad Chriſtum conuertere, & in eo mentis aciem figere: vnde tanquam ex fonte lux omnis, & ſplendor exiſtit. Quis autem Dei filium; & ipſum Deum, qui vbique eſt, atque (vt aiebat antiquus ſapiens) ſphæra, cuius centrum vbique, extremitas verò nuſquam, deſcendentem in terras, aſcendentemque rurſus in cœlum viuidis coloribus delineare tentabit? quibus eloquentiæ floribus, quibus gemmis diuitijſque facundiæ pingi poſſet decor e Chriſti vultu promanans; & irradians, ac fulgurans candor? ille lepos, illa elegantia diuini oris, illi læti honores afflati venuſtis oculis? O metamorphoſim admirandam! Chriſtus Dominus paulò ante decolor, exſanguis, exſuccus, & vermis potiùs quàm homo, nunc inſolita luce micans, & ſpecioſus forma præ filijs hominum, præque ipſis Angelis renidet: & circumfuſos vndique ſuos ambroſia lingua, flexanimiſq; ſermonibus extremum affatur; mœrore deiectos increpat, erigit, & confirmat. Quid memorem vt Beatiſsimo Petro poſt regni claues, & curam ouilis ſupra cæteros demandarit? alioſque vt tranſirent ad gentes, totumq; peragrantes orbem veræ fidei ſementem iacerent, ad nationes quantumuis barbaras ablegarit? Quis verba, quibus eſt alloquutus dulciſsimam parentem, ſanctiſsimamq; Virginẽ, ad quam triumphalis huius pompæ magnã partem ſpectaſſe non dubito, idonea poſsit oratione complecti?

Redeundum igitur ad Chriſtum ipſum, aſſertorem, ac vindicem noſtrum: qui ſicut vaticinatus fuerat Dauid, inſtar Aquilæ cœpit efferri virtutis propriæ vehiculo, ſui ipſius auriga ſimul & currus: vel Cruce tanquam ſcalis vtens, & pœnis quaſi pennis, eo ipſo in monte, vnde raptatus fuerat ad carceres, & ad ærumnas.

Comitabantur ipſum beatorum cœlitum millena millia: ſanctos illos Patriarchas e duriſsima ſeruitute vindicatos veluti pileatos ipſe circumducebat: & eleuatis manibus benedicens, more columbæ ramum oliuæ in ore ſuo deferentis, poſt horrendum, ſed ſalutare

diluuium

diluuium sui sanguinis, ab Angelis nuntiatam in ingressu suo pacem, in egressu quoque supra montem pacis denuntiabat. Cum elatus in sublime cœlum tenuit, sidera ipsa mirata quodammodo nouum Solem, atque illius accensa lumine clariùs refulserunt. Ruere intereà contendunt extra pomœrium Empyrei densatis agminibus alia militiæ cœlestis examina, obuiaque prodire, ac gratulari confestim Victori mortis, Inferorum Triumphatori, Liberatori generis humani, Angelicorum ordinum Restitutori, cœli terræq; Conciliatori.

At dicto citiùs ascendit ille super cœlum cœli ad orientem: & interclusum primi parentis crimine mortalibus regiæ cœlestis aditum reserans, ac primus hominum in patriæ iam inde vsque ab æternitate præparatæ limen pedem inferens, luteum nostræ carnis paludamentum, quo diuinitas ipsius erat amicta, suo purpuratum cruore in paternum solium inuexit. Naturam, cui dictum fuerat, Terra es, & in Terram ibis, immisit in possesionem incorruptibilis, atque immarcescibilis hæreditatis. Verus Iosue primæuos Heroas in promissam regionem dulci lacte, suauiq; melle fluentem inductos empyrea ciuitate donauit, & in sedibus, vnde deiecti fuerant inuidi Maiestatis supremæ desertores & perduelles, tanquam supplementum prouidus Imperator constituit, vt voluptatis torrente potarentur.

Ipse verò super omnes cœlestes ordines eminens, & Altissimi consors in patrimonio suo conquieuit: ac fœderis tabulas, quibus deleto mortis chirographo genus repararat humanum, Patri probandas, & sanciendas obtulit: votiq; compos ad dexteram, in qua delectationes vsque in finem, gloriosè consedit.

Angustiora nostra pectora sunt, quàm vt capere posint tanta gaudia, tamque amplum, ac tam immensum Oceanū diuinę beneficentiæ. ipsæ cœlestes ac beatissimæ mētes obuelant facies suas. Tantum igitur liceat exclamare cum beato Ioanne Chrysostomo:

O bea-

O beatam atque felicem culpam! O bonas insidias! O inuidiam bonorum omnium causam!

Ab hac tamen humanitatis in cœlum euectę felicitate me reuocant in terras Discipuli: qui vbi Christus ipsorum oculis subductus est, licèt Angelorum candidatorum aspectu atque alloquio, & sancti Spiritus, aduentusq; secundi post citatione recreati, nihilominùs obstupescunt: & Principem, ac Deum a se diuulsum, atque amissum modò lugentes, mox illustratum plusquam septemplici Solis fulgore coruscare, & in sublimi throno residere gaudentes, ipsum varijs affectibus animi prosequuntur.

Illorum exemplo, quia Christum quærere, quia Christum sequi non licet oculis; & afflicta humi depressaq; corporea sarcina superas ad arces euolare non potest; intendamus saltem sequacem mentis aciem, & attollendo sursum corda cœlũ penetremus. Inuitant certè nos illuc Christi vestigia etiamnum impressa saxo, quod oblitum naturalis soliditatis cessit plantis sui conditoris. inuitat nos apertus & subdialis locus, qui super eadem vestigia in fornice Aedis a Diua Helena constructæ nunquam obtegi potuit, nunquam obstrui.

Vt autem facilior sit via, quod Apostolos postmodum fecisse legimus, Christum Dominum adoremus ardentius: flagitemusq; crebris precibus, non validam flaminis procellam, quam singulis annis hac auspicatissima die in eodem templo re sacra peracta solitam oboriri, & eos qui illic aderant omnes prosternere Beda scribit; sed lenem sacri Spiritus auram: quæ compositis Christianæ Reipublicæ dissidijs, bellorum intumescentium fluctus mitiget, ac tranquillet: quaque feliciter aspirante Sol idem exaltatus, & oriens super occasum, ac radijs veræ religionis vbique terrarum diffusis enitescens, nos obuiam sibi rapiat in aera, & post se pertrahat ad seipsum.

FINIS.